



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Clemens Papa & Mart. 23. Novembr.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

in divitiis ac voluptatibus gemunt ii, qui vel cœco animi impetu, vel spe fortunæ amplioris, se induerunt in laqueos sæculi.

3. Si concessis tibi luminibus perperam abutaris, Deus movebit candelabrum, & alteri dabit gratias efficaces, quas tibi daturus erat. S. Mathias in locum proditoris Judæ susceptus est, & accepit coronam, quam is sp̄ pseudo - Apostolus malè tenuerat, Quanto dolore conficitur miser, dum hæc cogitatio animum ejus subit? Nunc in cœlis inter Apostolos federem, si meæ respondissem vocationi. *O quàm admirabilis est Deus in trabendo? ò quàm terribilis in deserendo!* Aug.

## S. CLEMENS Papa & Mart.

23. Novembr.

*Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.* Christus Matth. cap. 25.

**P**Rodiit Clemens è D. Petri schola: virtutis primò Magistri, tum infulæ etiam hæres inter Pont. Max. tertius numeratur impietatis sub Trajano accusatus & in exilium ultra Euxinum Pontū deportatus munere suo nec in ea quidem fortuna oblitus est fungi, docuitque bis mille Christianos, quos ad Latomias Tyrannus damnaverat, præter saxa è terra  
patien-

patientiam eruere, ad quam verbis & exem-  
 pio erexit & miraculis firmavit. Etenim cum  
 aquæ dulcis penuria laborarent, eamque pe-  
 tere per VI. milliaria cogerentur, Clemens è  
 proximo manare copiosam iussit, cum ipse  
 Servator familiarem sibi Agnum indutus dex-  
 tro pede & omine fontis indicium fecisset.  
 Porro cum aqua longè lateque miraculum e-  
 manavit. Et jam ad trecenta milliaria fana  
 Deorum evertabantur, undisque sanctis  
 quingenti quotidie tingebantur; cum deni-  
 que Procos: Aufidius Pontificem Anchoræ  
 illigatum in mare præcipitavit. Emicuit ta-  
 men ingens animus & ad portum cœli enata-  
 vit. Ad preces deinde Christianorum mare  
 cessit ad tria milliaria, structumque in imo à  
 Coelitibus Martyri templum tumulumque è  
 marmore ostendit, iterato quotannis dein-  
 ceptis hoc miraculo, quod auxit puer quando-  
 que à parentibus per errorem illic relictus an-  
 numque totum incolumis servatus. Frustra  
 igitur Tyrannus mergere laudes Clementis  
 mari voluit. Anchoram suam Martyr cœlo  
 fixit. *Ex Metaphr.*

## MEDITATIO.

*De Labore & Pigrizia.*

**D**eus graviter in eos animadvertet, qui desides  
 Y fue

fuerint, & creditum sibi talentum defoderint. Homo natus est ad laborem, laboris tempus est brevissimum, illud tamen (quæ tua desidia est) miserè perdis: Das locum Diabolo, qui sanè nullas immitteret tentationes, si semper te inveniret occupatum. Heu! quàm multum temporis das cupiditatibus, quàm parùm saluti? nunc, nunc tempus est diligenter laborandi.

2. Pluribus ex capitibus manat hæc desidia, sed potissimum à desperatione successus, ab amore voluptatum, à difficultatum, & judiciorum hominum metu. Vide, unde tam diligenter opus mundi, & tam negligenter opus Dei facias. Ah! profectò non attendis ad tremendæ Majestatis Regem, cui servis, non attendis ad potentissimum Deum, qui afficiet præmiis diligentes & impigros, pigros verò & negligentes suppliciis. Maledictus, qui facit opus Dei negligenter. Jerem.

3. Veniet tempus, cum non poteris laborare. Quid piger! fecisse velles, cum aderit hoc tempus? seriò meditare ultimum vitæ tuæ punctum. Considera piorum hominum exempla, & dandam tibi in cælo mercedem: te pœnitebit in terrenis tam studiosum ac tam inpigrum, in cœlestibus verò tam desidem ac pigrum fuisse, Greg.

---

## S. TRUDO Confessor.

24. Novembr.

*Beneficentia autem, & communi-*